

A G E R R O M A N V S,

coloniam ab Cæsare dictatore factam, indicat Frontinus M.S. apud quem in vulgatis scribitur *Lavinium*. Nam id in *Lauro-Lavinio* paullo ante delineatum fuerat. Ortam *Lanuvio* gentem Murenarum Patriciam, memorat Cicero in oratione, quam dixi.

Gens Murenarum.

Appia relicta, meditullium Latii petens, ut sensim ad Hernicorum agros deveniam, viam adeo jam nunc Latinam. Ea, decimo ab urbe lapide, fundamenta inveniuntur *Columnæ* opidi; à quo magnifica Romæ *Columnarum* familia. Livio lib. 11 *Columnen* videtur appellari.

Columna.

Bovilla Vicus.

Fuerunt haud procul *Columna Bovilla*, pauper vicus, ad quem interfectus est ab Milone Clodius, sic dictus à boum multitudine, quasi *Boum villa*, ubi egentes multi stipem mendicabant. Aliæ *Bovilla* nobiliores erant in Latio ad *Lirim*, de quibus suo loco. Inter *Bovillas* & *Ariciam* erat *Virbii Clivus*, quatuor ab urbe millibus: de quo veteres Glossæ: *Quatuor millibus*, inquit, ab urbe est *Virbii Clivus*, qua iter est ad *Ariciam* & ad nemus *Diana*, ubi *Virbius* colitur, id est, *Hippolytus*, quod bis in vitam prolatus sit. Nota autem apud *Virgilium* fabula est. Consulendus & *Ovidius* vi *Fast.* c. 111 & illud *Fastorum* 111:

*Hic latet Hippolytus furius discerptus equorum;
Vnde nemus nullis illud aditur equis.*

Loquitur de nemore vallis *Aricinæ*. Incipit eo tractu *Nemus Algidum*; supra illud in monte cognomine, XII ab urbe lapide, conspiciuntur *Arx Papalis*, vulgo *Rocca del Papa*: ubi quondam, ut viri docti volunt, *Algidum*; sic dictum ab situ loci, perpetuis cœli frigoribus propter altitudinem argenti.

Nemus Algidum.

Rocca del Papa.

Anagnia, cur dives dicta.

In *Hernicis* est, *Anagnia*; quæ *Anagna* vulgo. *Incola Anagnini* Livio & aliis: πόντις ἀγιάδος, Straboni; *Dives*, Virgilio, ad quem *Servius* notat, *Anagniam divitem appellari*, vel quod *persecunda* sit, vel ad *historiæ confirmationem*. In ea enim *Antonium*, *Augusti* sorore *Fulvia* contempta, *Cleopatra* que in uxorem accepta, nummum percussit iussisse. Muros & portam *Anagninæ* fulmine percussam scribit *Livius* libro XXVII: alio loco, terram ante portam ejusdem urbis jactam sine ullo ignis alimento arsisse: item lib. XLV, Terra quandoque ad eandem urbem pluisse. Auctor est *Plinius* C. *Septimulium*, *Graccho* peramicum, *Anagninæ* progenitum. Varios genuit Pontifices: inter eos *Innocentium* III, *Gregorium* IX, *Alexandrum* IV, *Bonifacium* VIII. Cardinales insuper multos, Episcopos, aliosque præclaros viros. Patria quoque hæc *Ioannis Anagnini*, *Bononiensis* *Archidiaconi*, & commentatoris legum Pontificiarum, maximeque *Decretalium*: qui anno CIO CCCC LVII *Bononiæ* fato concessit. Hodie, licet *Episcopatus* dignitate fulgens, semidiruta tamen & desolata jacet: civilibus & intestinis odiis maxime labefactata. Agri naturam exprimit aliquo modo *Silius Italicus* lib. VIII:

Res gestæ.

Episcopatus.

*Quæis putri pinguis fulcaris Anagnia glebis;
Item: Frugiferis tete ante alias Anagnia glebis.*

Vltra *Anagniam* M. P. V alia *Hernicorum* urbs in colle est *Ferentinum*: *Ferentino* hodie.

Ferentinum.

Hinc quinto lapide *Frusinum* abest. Patria duorum Pontificum, *Hormisdæ Iusti* F. & *Silverii Hormisdæ* F.

Frusinum.

Post M. P. XV Latii hoc latere terminus est *Ceparanum*.

Ceparanum.

Hoc ipso tamen itinere dextra *Sinatiani* (*Zinazzano*) *Palianum* (*Pagliano*) invenitur: quod annis superioribus *Afcanio Columnæ Paullus* III P. M. ademit.

Sinatianum.

Palianum.

Sequuntur inde quæ vernacule *Serrono*, *Pillio*, *Aguto*, *Privigliano*, *Colle di Po* (*Collis Podius*) *Anticolo* & *Verulo*: urbs antiqua, quæ *Verulanum* Livio, in *Hernicis*, cujusque incolæ *Verulani* eidem Livio. Patria hæc *Emmii Philonardi*, Episcopi *Verolani* & *Cardinalis*.

Serronium.

Pillium.

Acutium.

Trivulianum.

Collis Podius.

Anticolu.

Verulum.

Succedit *Castellum* modicum *Fumonis*; à *Petrarcha*, *Platina*, *Blondo*, *Sabellico*, aliis, frequenter nominatum in *historia Celestini* V. P. M.

Castellum Fumonis.

Mox *Alatrium*, quod vulgo *Alatro*: *Coloniæ* nominat *Frontinus*. Postea *Municipii* naturam induit. *Episcopatus* gaudet titulo.

Alatrium.

Episcopatus.

Hinc *Babucum* est: quod *Bovilla* veteribus, quibus *Bovilla* duplices, unæ haud procul *Roma*: alteræ prope *Lirim* fluvium. De prioribus suo loco: posteriores, quod nobiliores, puto designari à *Plinio* lib. 111, cap. v, *Boïdæ* sunt *Appiano*: *Bovilla Colonia Frontino*.

Babucum.

olim Bovilla.

Visuntur inde, quæ vulgo, *Nota*, *Turtio*, *Prose*, *Vico*, *Rippe*, *Porcigliano*, *Trevo* & *Fettino*; Latine scribentibus, *Nota*, *Turritium*, *Proseum*, *Vicus*, *Ripa*, *Porcilianum*, *Trevum*, & *Fetinum*.

Nota.

Turritium.

Proseum.

Vicus.

Porcilianum.

Trevum.

Fetinum.

Valmontonium.

olim Labicum.

Deinde repetita via, medio in nemore *Algidum* relicta, *Valmontonium* castellum, vulgo *Valmontono*, in colle cernitur. *Labicum* Virgilio libro VII *Æneidos*:

Et Sacranæ acies, & picti scuta Labici.

Ad quem locum *Servius*, *Glaucus*, inquit, *Minois filius* venit ad *Italiam*; & quum sibi imperium posceret, nec acciperet, ideo quod nihil prestabat, sicut pater ejus prestiterat, zonam ejus transmittendo, quum ante hac distincti essent: ostendit scutum militare à quo & ipse *Labicus* dictus est, & ex eo populi πόντις λαβίς, quam Latine *Ansam* vocamus. *Dionysius Halicarnassæus*, ab *Marcio Coriolano* cum ceteris *Albanorum* coloniis subactum scribit. *Livius* lib. 14, hanc urbem expugnatam ab *Q. Sulpicio Prisco* dictatore, direptamque scribit; & coloniis eò *Roma* ex *S. C.* missis bina jugera singulis data. *Labici municipii* meminit *Cicero Philippica* 11. Ab eo *Labicana* via *Romæ*. *Plinius agrum Labicanum* locat in 1 *Italia* regione. Idem ager olim ab *uvæ præstantia* nomen habuit, cujus tres & viginti libras uno prandio *Claudium Albinum* absumpsisse *Capitolinus* est auctor. *Labicana* vina celebrant *Spartianus* & *Frontinus*. In populis designandis nonnulla est apud auctores *Græcos* Latinosque inconstantia. Nunc enim *Labici* & *Labicani*; nunc *Lavici* & *Lavicani* scribuntur.

Labicum.

olim Labicum.

Vnde dictum.

Res gestæ.

Colonia.

Municipium.

Ager.

ejusque vina.

Haud